Quæstio Medica Cardinal. disp. agitanda in scho. medic. die Jovis 17ª Decemb. Eruditiss. viro D. Claudio Rousselet D. medico moderatore prudentiss.

An Pleuritidi utraq; vacuatio?

Communes morborum omnium ex vitio humorum ducentium originem causæ sunt, plethora et cacochymia. Quibus ita prospicitur, ut illa venæ sectione, hæc purgatione commodè tollatur. Utriusque soboles et propago est pleuritis, quæ orgasmum humoris copia vel qualitate peccantis consequitur: sive natura, morborum medica, omne grave [illegible] aut viciniam thoracicam in latus infirmum vel dolore obsessum deponat: sive calor ab Austro, balneo, motu, ira, febre, vino vel aromatis profectus, quietum sanguinem fundat et exagitet, aut frigus aquilonium comprimendo fluxionem excitet.

Hic inter anni tempora hæc hyeme magis grassatur, sæpiusque accidit ætate provectis, quam juvenibus, et senibus quam pueris, viris viros (nisi sint ὀξυρεγμιώδεις) frequentius evenit quam mulieribus, ut et gravius temperamento [illegible]. Cum autem ab omni humore nasci possit, quæ pendet a bile, longe crebrior et tutior est, quam quæ fit a sanguine et pituita: quippe quæ vix septimum diem excedat, præsertim si sputum citò et faciliter ejiciatur; alioquin sicca pleuritis difficilis est admodum et periculosa.

Quæ exteriores occupat musculos, decubitu tactuque molesta, tutior quidem est, sed diuturnior: at quæ pleuram obsidet tanto gravior est, quanto magis ad jugulum pertinet, latiusque diffunditur. Propria huius symptomata sunt, febris continua, morborum acutorum comes: dolor pungens, unius solutionis consectarius: tussis vexans, quæ mox sputum coloratum expuit, peccantis humoris nuntium: pulsus frequens, durus et inæqualis, respiratio, quæ voluntaria est, difficilis: urina vero cum qua chymosi cum qua colore morbum judicat, tamen si in affectibus thoracis non frustra observetur.

Pleuritis omnibus una salus est robur ~~viriu~~ virium. Sic naturalis facultatis integritate, ex coctionis salutis indicio: vitalis, ex pulsu ordinato: animalis ex spirandi facilitate judicatur. Quam ob rem pleuritis solvitur quidem nonnunquam hæmorrhagia, urinis crassis, aut alvi fluore; sed frequentius expectorato: aliàs vel in suppuratione vertitur, vel perniciosam peripneumoniam, aut ~~pt~~ phthisim contagiosam inducit, vel ægrum ipsum sputi suppressione et symptomatum magnitudine citius interimit.

In pleuritide, quæ jam in thoracem fluxit materia, anacatharsi et diaphoresi vacuanda est: illa juvatur, partim victus ratione euchymorum et humectante; partim bechicis incrassantibus vel attenuantibus: hæc fomentis chalasticis promovetur. Sed partis alicuius curatio perperam suscipitur, nisi prius toti corpori generalibus præsidiis consulatur, et qui morbum fovet humor evacuetur, sanguinis missione ex eodem latere, etiam ætate, tempore, habitu et sexu repugnantibus, et purgatione per lenitiva frequentia, aut cathartica quæ in vera et superiori pleuritide mitiora, in notha et inferiori validiora tutò præscribuntur.

Ergo Pleuritidi utraq; vacuatio.

Ponebat Philippus Harduynus de S.t Jaques morrmentis. 1579.